



Ioannes natus est Lindauſ ad lacum Podmicū Anno 1521. Ibi ſub Caſparo Heldio præceptore prima literarum rudimenta poſuit. Poſtea 1536 Argentinam peruenit, atq; per triennium linguarū & artium ſtudio ſub Bedrotto eius ſcholę authore diligētem operam nauauit, & magnam earum cognitionem ſibi comparauit. Cum uerò 18 annum ageret, ſeſe Vuitebergam contulit, atq; talem ſeſe omni genere exercitiorum exhibuit, ut anno ætatis 20 Magiſteriꝝ gradu exornaretur. Huic eruditioni ad erant pietatis & religionis amor, & facundia quædam naturalis. Itaq; mox Ihenæ ſub Hoſmāno per annum unum Diaconus fuit. Poſtea Vuitebergā

rediit, & ſacrarum literarum uſum ſibi familiarem reddidit, ita ut ſtatim altero anno omnium applauſu Theologiæ Doct̄or crearetur. Ea dignitate adepta Iſnenſis paſtor factus Paulo Fagio ſucceſſit. Cum in eo loco officio ſuo diligenter præſeſſet, Anno 1545 Argentinam uocatur, & ad S. Nicolaum Eccleſiaſtes conſtituitur. In eo loco docendo & prædicando plurimū profecit, atq; S. Patrum explicationes cum S. ſcriptura diligenter contulit. hinc factum ut poſtea 1552 urbis nomine Tridentum miſſus fuerit, ut fidei ſuæ & Argentinæ reiſpub. rationem redderet, atq; aduerſarijs reſponderet. Ibi 5 Aprilis cum Iohanne Brentio Theologo doctiſſimo in ædibus Toletani uocatus comparuit, & ut audiretur petiit. Verū paulo poſt ob captam Auguſtam à Mauritanis ſynodus illa ſoluta fuit.